Noverint universi quod nos Beatrix Dei gratia abbatissa monasterii Sancti Danielis Gerunde attendentes quod dictum monasterium habet satis prope civitate Gerunde joveriam vocatam de
monte calvo cum suis terris honoribus et pertinenciis suis. Attendentes etiam et considerantes sumptibus qui pro laboratione ipsarum terrarum et honorum et aliis racione ipsius Jouerie fiunt
necessario et fieri habent, melius utilius et fructuosius est ipsi monasterio multiplici racione dicta joveria cum suis terris honoribus et pertinenciis stabilire seu ad emphiteosim con
cedere sub certis censibus quam ad propriam laboracionem tenere vel etiam ipsam ad laborandum concedere, habitis super predictis et quolibet predictorum diligenti et frequenti consilio
deliberacione et tractatu cum conventu nostri monasterii propter ea more solito convocati et congregati. Attenta ipsius monasterii utilitate atenta de consensu voluntate et con
silio dicti nostri conventus et etiam de auctoritate et expresso assensu reverendi patris in Christo domini Gastonis miseracione divina episcopi Gerundensis. Gratis et ex certa sciencia per
nos et succedentes nobis in dicto monasterio damus et concedimus ad emphiteosim sive ad accapitum vobis Petro sos oliuo ffererio Gerunde et vestris perpetuo unam fe
xiam terre prout est signata et terminata ex honoribus dicte Jouerie. Que fexia affrontatur ab oriente in honore Petri Luppeti. A meridie in honore Jacobi Johannis, ab oc
cidente in carraria publica, a circio in fexia Guillermi Johannis cirurgici. Predictam siquidem fexiam, prout superius terminatur et affrontatur, cum omnibus integritatibus
et proprietatibus suis introitibus exitibus et pertinenciis suis universis et singulis, et cum omnibus melioramentis et augmentis ibi factis et deinde faciendis, vobis dicto Pe
tro sos oliuo et vestris perpetuo damus et concedimus ad emphiteosim sive ad accapitum. Salvo tamen jure et directo dominio dicti monasterii, tam in terciis laudimii
is et foriscapiis empcionis faciendis quam etiam aliis que ad directum dominium pertinere noscuntur. Dabitis preterea vos et vestri nobis et nostris succedentibus predicto monasterio
annuatim censualiter in festo sanctorum Petri et Felicis tres quarterias frumenti boni pulcri sicci et mundi ad mensuram Gerunde, de ipsis deffendentes in foro allatas vestris
sumptibus predicto monasterio. Et sic sub dictis modis et condicionibus constituimus nos dictam fexiam terre vos vestro vestrorumque nomine possidere donec eiusdem rei possessione
tam de jure quam de facto adepti fueritis corporalem. Insuper intrandi adipiscendi et retinendi plenam vobis et vestris damus et confirmamus potestatem. Et sic per
nos et nostras succedentes predicto monasterio promittimus hanc concessionem et omnia et singula supradicta rata et firma habere tenere et servare et predictam fexiam
cum suis juribus vos et vestros semper facere habere tenere et etiam deffendere in pace contra cunctas personas, et facere vobis et vestris firmam teneri de evictione et omni
dampno et expressis litis et extra. Et pro predictis attendendis et complendis obligamus vobis et vestris omnia bona dicti monasterii ubique presencia et futura. Pro huius
modi vero concessione habuimus et recepimus a vobis ad utilitatem dicti monasterii sex libras barchinonenses terni curriculi, exceptioni pecunie non numerate et non recepte et doli. Et ego dictus
Petrus sos oliuos laudans et concedens omnia et singula supradicta, promitto vobis dicte domine abbatisse et succedentibus vobis in dicto monasterio dictum censum trium
quarteriarum frumenti annuatim solvere termino supradicto allatas ut est dictum. Et pro predictis attendendis obligo vobis meis dicta fexia terre cum omnibus melioramentis
et augmentis ibi factis et deinde faciendis. Quod fuit actum et tam a dicta venerabili abbatissa quam dicto Petro firmatum et laudatum sexto idus octobris anno domini
millesimo ccc° xxx° tercio. Presentibus testibus venerabili Bernardo de Lacu presbitero de capitulo et Petro de Villacasis clerico et Arnaldo de Torreta Gerunde. Predicta
vero omnia fuerunt per dictum conventum more solito congregatum in capitulo dicti monasterii laudata concessa et approbata, et etiam postea predicta omnia per dictum re
verendum dominum episcopum Gerundensem laudata auctorizata et approbata iiij. idus octobris anno domini predicto. Presentibus testibus venerabilibus Arnaldo de Julianis thesaurario
sacrario et Bernardo de Lacu presbitero de capitulo Gerundensi. Et similiter Arnaldus de Torreta baiulus dicti monasterii predicta firmavit ut baiulus coram testibus supradictis.

Signum Petro Massaneti notarius publicus substitutus auctoritate regia a Bernardo de Toyano notario Gerunde publico, qui hec scribi fecit et clausit.

Nº 49

CTORS
f. 70

Establiment de una pessa de terra de ... de la ... de Montornes ... de St. ... a Pere ses olives ... de ...

A 10 8bre 1333.

T. 355 X 321

nº 666

AC f. 34v ... 4 ... 5 de diferents terres de la ... de Montornes

695